



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxlvi [i.e. i]. Infitivm est, cujus semper est aliquid ultra accipere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

hic impulsus imprimi partibus remotioribus ab impulsu impresso vicinioribus, & postquam impressus est omnibus, paulatim debilitatur ab obsistente aëre & gravitate deprimente. Demum quòd gravia etiam sursum moveantur velociùs, quàm levia, ex eo est, quòd densiora sint, pluresq; habeant partes, adeoq; concipiant majorem impetum.

DISSERTATIO XIV.

De Infinito & Continuo.

I. **I**nfinitum, quod quò ad rem est quid positivum, utpote dicēs rem non habere negationem ulterioris esse, seu finem, bene definitur: *cujus secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid ultra accipere; id est, cujus tanta est amplitudo, ut quascunq; ejus partes acceperis, seu mēte successive designaveris, semper aliæ restent accipiendæ.* Aliud est infinitum secundum essentiam seu simpliciter & in omni genere perfectionis, quod caret termino intrinseco (qui est ultimum rei, in quo res veluti ultimò sistit) & extrinseco (qui est primum illud, quod rei contiguum est, aut quod primò excedit rem perfectione) sive quod habet omnem perfectionem

ctionem possibilem, qualis est, & esse potest solus Deus; nam & de hoc secundum quantitatem virtualem accipientibus, semper est aliud extra accipere, non ex quo componatur, sed cui perfecte æquivaleat, quanquam alii bene rō secundum quantitatem; in definitione infiniti omittant. Aliud secundum quid & in certo genere tantum secundum rationem aliquam contingentem est infinitum, idq; vel secundum extensionem partium quantitativarum, vel secundum intensiōem graduum, vel secundum numerum. Aliud iterum categorematicum seu actuale, quod habet partes æquales uni certæ, seu aliquotas actu existentes infinitas; aliud syncategorematicum seu potentiale, quod habet actu partes aliquotas finitas, secundum partes verò, quas successive habere potest, infinitum est, sive cui aliæ & aliæ partes in infinitum addi possunt, vel etiā cujus partes aliquotæ in partes indeterminatas plures & plures in infinitū dividi possunt.

II. Infinitum tale syncategorematicum de facto datur in quocunq; continuo & numero; imò & perfectione creata: nam quacunque creaturâ productâ, Deus potest producere perfectiorem; cum participabilitas Dei sit